æquale circulo. Si quis obiiciat, non eſſe neceſſarium, vt exceſſus vtrinque demonſtrentur ęquales, quandoquidem totæ figuræ poſſunt demõſtrari æquales: hinc enim ſequitur, etiam partes extuberãtes inter ſe ęquales eſſe. Reſpondendum eſt, falſo aſſumi, quod figuræ integræ inter ſe æquales habeantur. Hic nunc locus poſtulare videtur, vt videamus, an verum ſit, quod a quibuſdam dicitur, ſuperficiem circuli irrationalẽ eſſe magnitudinem, idcirco artifices multos fruſtra laborare, quod aream circuli certo numero definiant. Vt hãc quæſtionem diſſoluamus, ante omnia expendendum erit, quæ ſit proportio laterum trianguli rectanguli A D C. in ſemicirculo inſcripti. Latus angulo recto ſubtenſum A C. eſt diametrus circuli quadrandi, latus autem minus circa angulum rectum D C. eſt latus hexagonum circulo inſcriptum, quod æquale eſt ſemidiametro. Hiſce duobus lateribus notis etiam tertium inuenietur, præſidio propoſitionis penultimæ libri primi elementorum Euclidis: latus enim A C, vtpote diametrus circuli, ponitur decem partium æqualium, ergo quadratum illius eſt centum: & latus D C æquale eſt ſemidiametro, continens partes quinque æquales, ergo quadratum illius eſt vigintiquinque. Si iam minus quadratum dematur de maiore, relinquitur quadratum lateris maioris circa angulum rectum 75. cuius Radix eſt latus A D. Atqui hoc ipſum latus A D. eſt latus trianguli iſopleuri circulo inſcripti, ſicut